

Alessandro, signore di Marsico Vetere

H 9

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Alessandro, signore di Marsico Vetere

H 9

1151-05

In nomine Dei eterni et Salvatoris nostri Iesu Christi. Anno incarnationis eiusdem millesimo centesimo quinquagesimo primo, mense madio, indictione quartadecima, X anno domini Roggerii magnifici regis, et primo anno domini Guilielmi regis filii sui.

Quandoquidem omnes in huius seculi fragilis vita brevi manentes caritatis operibus sollicitos et elemosina a redemptoris omnium id amore pro cuius egerint misericordia bonum meritum indeficiens assequi procul dubio credimus veritate testante ubi ait: venite benedicti patris mei. Nos igitur Alexander Marsiciveteris dominus una cum Bartholomeo fratre nostro, presentia bonorum hominum subscriptorum testium, amore Dei et domni Gofridi nostri genitoris nostreque sororis Adelaie et omnium nostrorum predecessorum defunctorum parentum animarum remedio et anime nostre et fratris nostri Bartholomei et domne Magalde nostre genitricis et Tisbie uxoris mee mercede, donamus, concedimus ecclesie Sancte Trinitatis de Cava, monasterium Sancti Iohannis quod situm est subtus castellum prefati Marsici Veteris cum suis possessionibus et cum omnibus infra se habentibus et pertinentibus sibi, vineis videlicet, vinealibus, terris, ortis, arboribus fructiferis et infructiferis, forestis, aquis et cum omnibus que nunc ab eodem monasterio teneri videntur et possideri, cum transitis et exitis suis eiusdem videlicet monasterii primo incipiente fine, a fontana Taccarelli que est in septemtrionali parte et vadit inter ortum nostrum et terras predicti monasterii; a parte orientis fine terras Guilielmi de Guidone et Nycolay Carneclarii et de comite et Iohannis ref="<https://it.wikipedia.org/Q52510>">Abriole et Marsicany de Maione, et Nicolay

de Mirando et Petri Paludensis et exiit ad viam puplicam que descendit a predicto castello et transeunte via vadit iuxta vineas Leonis Cavallarii et Goffredi de Donnello et sic a parte volvitur meridiey iuxta vineas Umfridi et Rogerii de Falcone et Marsicani et Petri ref="<https://it.wikipedia.org/Q52541>">Calvellensis et Leonis de Rocca, et vadit ad viam transversam que est ab occidentali parte sicut vadit per eandem viam inter vineam gualterii et terras ecclesie et redit ad priorem finem fontane predictae. Exceptis tribus ortis intra hos fines manentibus, quia sunt de nostris hominibus. Cum his autem concessis ad locum ubi Baldeman dicitur concedimus petiam unam de terra, ad Sckeruppum unam petiam, et aliam ad Bolturinum, et duas petias ad Bescelleta et ubi Ordinate dicitur petias tres, in Matina vero petias tres et aliam petiam super molendina nostra, et forestam que est super viam, quomodo ascendit iuxta vineam que fuit Auromundi usque muros destructi Marsici Veteris et vadit per eundem murum usque ad cristam et descendit per ipsam cristam usque ad prefatam viam. Insuper ad aquam Vespuli locum concedimus ubi molendinum efficiatur cum omnibus suis utilitatibus. Permittimus quoque ut in tenimjentis predicti monasterii usque duodecim casatas hominum hospitari ad habitandum annuentes, monachos ipsius monasterii et homines quod ibidem ad habitandum permisimus de silvis, aquis, pascuis castelli nostri sicut ceteros homines nostros iusta ratione utilitatem habere. Huius igitur nostre concessionis segura et firma stabilitate coram subscriptis, baculi traditione et manibus domni Iohannis Marsici, Sancte Trinitatis de Cava monachi et cappellani domni Mariny eiusdem cenobii abbatis venerabilis recepta. Si quis autem hanc nostram

concessionem in quoquam evacuare temptaverit, gladio spirituali puniatur percussus insuper eidem venerabili loco regalium centum penam persolvat, stabili et firma concessione manente. Hanc itaque segura causa semper et stabili precepimus Iohanne notario cartulam scribi nostroque sigillo ad ceram bullari nostraque manu propria signum Sancte et vivifice crucis subter fecimus.

Signum proprie manus domni Alexandri Marsici Veteris huius oblationis largitoris # Signum manus domni Bartholomei fratris domni Alexandri # Signum manus presbiteri Guilielmi eiusdem domni Alexandri capellanus # Signum manus Leonis Pelegroni qui interfui # Signum manus Robberti filii Iohannis qui interfui # Signum manus Gualterii filii Ursonis qui interfui # Signum manus Riccardi filii Simeonis qui interfui